



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institutionum Juris Canonici Sive Primorum totius Sacrae
Jurisprudentiae Elementorum. Libri Quatuor**

Febeo, Francesco Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1704

VD18 13560743-001

Titulus Prooemialis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63052](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63052)

INSTITUTIONUM JURIS CANONICI, TITULUS PROOEMIALIS.

De Jure Canonico in genere, ejusque Origine.

1.  Ivino implorato præsidio Institutiones Sacri Juris aggredior, hoc est brevem Sacrorum Canonum methodicamque synopsim, quam cultiori disciplinæ legali præambulam esse debere, tum præceptum Justiniani in procœmio Digestorum, tum magistra rerum experientia declaravit. Mirum enim quantæ facilitatis compendium est, Tyronum mentem ordinata illa perbrevique rerum tractatione perpolire, qua uno velut intuitu summa rerum primū aspiciant, ac deinde ad rimanda diligentius singula operam revocent.

2. Quod attinet ad ordinem, non aliud mihi servandus proponitur, quam quo digestæ sunt Institutiones Cæsareæ, quem sapienter quoque imitatus est Lancellottus in Institutionibus suis: diviso scilicet in quatuor libros opere, in quorum primo de personis Ecclesiasticis agatur, in secundo de rebus, in tertio de Actionibus, & Judiciis, in quarto de crimibus, & poenis Ecclesiasticis: sub his enim re-

rum

2
Titulus Proæmialis

rum generibus omne jus, quo utimur, comprehenditur, ex l. i. ff. de statu hominum. Sed, & his omnibus in hujus primi libri vestibulo præmittenda sunt proæmialia nonnulla circa Jus Canonicum in genere, ejusque Originem ac proprietates, quæ primò accendentibus ad legalem Disciplinam sunt cognoscenda: ne illoris quodammodo manibus (ut dicitur in l. i. ff. de Origine Juris) protinus materiam ipsam interpretationis tractemus, neglectis earum rerum præfationibus, quæ & libentius nos ad propositæ materiæ lectionem invitant, & cum ad eandem materiam venerimus evidenter præstant intellectum.

§. I.

Quid & quotuplex sit Jus.

3. **J**US est generale nomen, quod in multipli-
ci significatione sumi solet à Theologis &
Juristis. Aliquando enim sumitur ut est idem
quod justum seu conforme Legibus particula-
ris Justitiæ, cuius est reddere alteri debitum &
& quale. Ita sumitur in l. *Justitia* 10. ff. de *Just.*
& *Jure*, ubi dicitur ad *Justitiam* pertinere uni-
cuique *Jus* suum tribuere.

4. Frequenter quoque sumitur nomen juris
pro potestate legitima seu à lege concessa, quam
quis habet vel circa rem suam, vel ad rem sibi
debitam; Et hoc modo dividi solet in *Jus ad*
rem

rem , & Jus in re , qua divisione utitur Clem. v.
in Clem. unica de sequestr. possess. & Bonif. VIII.
in c. fin. de concess. præb. in 6. Jus ad rem est,
quo quis habet sibi obligatam personam in or-
dine ad aliquam rem ; ipsam autem rem non-
dum habet actualiter obligatam, ut puta si quis
rem emerit à venditore , à quo nondum res
tradita sit, habet jus ad rem emptam , quia ha-
bet sibi obligatum venditorem , ut rem vendi-
tam tradat : ipsam autem rem nondum habet
actualiter obligatam , quia rei dominium ante
ipsius traditionem regulariter non acquiritur,
ut habetur ex l. i. aliisque pluribus ff. de acquir.
possess. & ff. de acquir. rer. dominio. Jus in re di-
citur , quo quis habet sibi devinctam , & obli-
gatam ipsam rem , unde pro ea habenda , vel
recuperanda contra quemcunque ejusdem rei
possessorem agere potest , quale Jus habet v. g.
Emptor rei post factam rei traditionem à ven-
ditore.

5. Demum omisis reliquis , quæ ad propo-
situm minus faciunt , Jus frequenter sumitur
prout derivatur à jubendo , & ut est idem quod
jussum seu lex , undè per quandam metony-
miz speciem transfertur etiam aliquando no-
men Juris ad ipsam legalem disciplinam , in
qua Legum peritia continetur , ut videre est in
l. i. ff. de Just. & Jure , ubi jus definitur Ars bo-
ni , & aqui.

A 2

6. Jus

4

Titulus Proemialis

6. Jus ita sumptum pro lege dividitur in naturale ; & positivum. Jus naturale dicitur quod est unicuique hominum insitum ab Authorē naturæ . atque intimatum ipso lumine rationis , quo discernimus quid agendum sit hic, & nunc, quid omittendum , etiam secluso omni alio præcepto extrinseco. Hujus generis sunt ea rationis dictamina , quibus impelli-mur ad bene nobis facienti benefaciendum , ad curandam vitæ conservationem , aliaque similia : Et quia plurimæ ejusdem generis inclina-tiones apparent etiam in brutis ; ideo in cit. l. i. ff. de just. & jure dicitur Jus naturale esse quod Natura omnia animalia docuit , quamvis inclina-tiones illæ prout in brutis sunt , non dicantur propriè Jus naturale , cùm non à ratione , quæ est fundamentum Juris , sed ab instinctu quodam sensitivo proficiantur.

7. Inde fit jus naturale immutabile esse ex natura sua ; totamque mutationem , quæ ali- quando contingit circa ea quæ sunt juris natu- ralis , oriri non ex mutatione ejusdem Juris , sed ex variatione circumstantiæ , ratione cuius definit aliquid esse objectum à Jure naturali prohibitum vel præceptum , sicut esset ea cir- cumstantia seclusa.

8. Jus positivum vocatur , quod à libera Dei , vel hominis voluntate sancitum est , ac propte-re a mutabile est , in eoque differt à jure natura-

l. ii.



li. Subdividitur in Divinum & humanum.

9. Jus positivum divinum est quod liberè à Deo latum est , idque subdividitur in *Vetus* & *novum*. *Vetus* est quod in *Veteri Testamento* Deus condidit in tria præceptorum genera distinctum, nempè in præcepta judicialia quæ ad justam Hebraicæ Reip. gubernationem spectabant ; in præcepta cæremontialia , quibus speciales modi colendi Deum, Religionemque servandi præscribebantur; & in præcepta moralia quibus informabatur morum disciplina , cuius generis sunt præcepta Decalogi : quamvis hæc sint juris quoq; naturalis; unde factum fuit, ut hæc moralia perseveraverint etiam in *Testamento novo* , in quo cæteroquin veritate umbræ succedente per Christum Dominum , cæremontialia illa , & judicialia cessaverunt. Jus positivum Divinum novum est quod in *novo Testamento* condidit Christus Dominus , cuius generis sunt ea, quæ pertinent ad Sacra menta novæ Legis.

10. Jus positivum humanum dicitur , quod ab homine latum est habente potestatem legislativam , quod etiam subdividitur in *Jus gentium*, *Jus Civile* , & *Jus Canonicum* , de quibus juris speciebus sermo erit in sequentibus.



§. II.
De Jure Gentium & Civili.

1. Nomen Juris gentium dupliciter sumi potest: primo lato modo, quatenus complectitur omne illud Jus, quod est omnibus hominibus proprium, atque commune, sub qua acceptione venit etiam jus naturale, solis, & omnibus hominibus competens, quod ab aliquibus vocatur jus naturale, secundarium, ad discrimen alterius juris naturalis communis cum brutis, quod vocant Jus naturale primarium: atque ita sumitur in l.2. & 3. ff. de Just. & jure, ubi in ejus exemplum affertur Religio erga Deum, pietas erga parentes &c. quæ tamen sunt juris naturalis, seu unicuique hominum insiti ab Authore naturæ, etiam secluso omni alio præcepto extrinseco.

2. Secundò sumi potest strictius prout adæquatè distinguitur à toto Jure naturali; & tunc nomine Juris gentium intelligitur Jus illud, quod omnibus, aut plerisque gentibus communе, & proprium est, ita tamen ut non fundetur in solo rationis instinctu, sed introductum fuerit communibus moribus, & consuetudine ad exigentiam humanæ utilitatis aut necessitatis. Hujus generis sunt plerique contractus, bella, paces, fœdera, aliaque similia, quæ numerantur

tur in §. *Jus autem gentium. Instit. de Jure natur. gent. & civ. & in can. Jus gentium 10. dist. 1.*

3. *Jus civile generice sumptum est omne illud Jus, quod in qualibet humana Rep. constitutum est ab homine, vel ab ipsa Communitate pro gubernatione politica, & conservatione pacis, atque Justitiae. Plerumque tamen nomine Juris Civilis absolute, & sine addito prolati intelligitur per Antonomasiam Jus commune Cæsareum, seu Romanorum, sicut cum Poetam dicimus, nec addimus nomen, subauditur apud Græcos Homerus, Virgilius apud latinos, quod est exemplum allatum in §. Sed Jus quidem civile. Instit. de Jure natur. gen. & civili.*

4. *Jus Civile ita sumptum aliud est scriptum, aliud non scriptum. Jus non scriptum est consuetudo, quam diuturni mores consensu utentium comprobarunt, ut dicitur in §. Ex non scripto. Instit. eod. Consuetudo enim est Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex c. consuetudo 6. dist. 1. Jus scriptum dicitur, quod à Legislatore legitimo immediate latum est, scriptumque dicitur, non quod ad legis essentiā requiratur ejus promulgatio per scripturam, sed quia leges Principis solent plerumque per scriptum promulgari.*

5. *Juris Civilis scripti species plures sunt, quæ numerantur in §. constat, & seqq. Instit.*

eo^d. videlicet lex specificè sumpta , plebiscita , Senatus Consulta , Magistratum edicta, edicta Prætorum , Principum placita , Responsa prudenterum. Nomine legis specificè sumptæ intellegitur ea Constitutionum species , quas populus Rom. Senatorio Magistratu interrogante , veluti Consule constituebat. Plebiscitum est quod Plebs Magistratu plebeio interrogante veluti Tribuno decrevit , cuius generis decretis robur communis legis accessit per legem Hortensiam , ita dictam ab Hortensio , qui ad conciliandam pacem inter Nobiles , & Plebeios statuit , ut eorum Plebiscita vim communis legis haberent. Senatusconsultum est quod Senatus jussit , atque constituit. Edicta Magistratum , aut Prætorum , quæ jussa sunt à Magistribus , aut Prætoribus. Principum placita , quæ Imperatores vel per rescripta , vel per sententias definitivas , vel per edicta decreverunt. Responsa demum Prudentum sunt sententiæ , & opiniones veterum quorundam Jurisconsultorum , quibus , vel permissum fuit à Principe Jura condere , vel quorum dictis ab authoritate Principis robur legis accessit. Sumuntur hæc ex cit. loco Instit. & ex l. 2. ff. de origine Juris.

6. In omnibus his Jurium speciebus tam multa olim diversis temporibus statuta sunt , ut duo penè millia librorum numerata fuerint , & plusquam tricies centena millia versuum quibus

bus Jura continerentur ex l. 2. C. de vet. jure enucl. non sine magno disciplinæ legalis incommodo, cui ex tam ingenti rerum multitudine plurima præterire necessarium erat. Huic malo ut mederetur Justinianus, sapienter statuit tam inconditam vastitatem brevioribus terminis restringere, rejectisque contrariis, ac superfluis, moderatum legum compendium reformare, ut factum fuit per Tribonianum, aliosque in legali facultate florentissimos viros: atque illud est quod modo habemus, & est in usu, diciturque Corpus Juris Civilis.

7. Constat autem Corpus hoc Juris Civilis pluribus partibus. Prima est Digestum in tres partes distributum, nempe in Digestum vetus constans 24. libris; in Infortiatum, ita dictum fortasse quia continet leges circa Testamenta, & ultimas voluntates, quæ sunt leges fortissimæ, & irrevocabiles, complectiturque 14. libros, & in Digestum novum constans 12. libris: unde totum Digestū universaliter continet 50. libros, diciturque etiam Pandectæ à græco vocabulo πᾶν quod significat totum & à verbo δέχομαι, quod significat continere, seu capere, quasi sic volumen continens in se omnes disputationes, & decisiones legitimas, ut explicatur in l. 2. C. de vet. Jure enucl. Ex hoc Pandectarum nomine ortum habuit non ille communis inter Recentiores citandi Digestum per duplex ss. Nam

10 Titulus Proæmialis

cum olim citaretur per græcam litteram π, quæ est initialis in hac voce πανδέκται, eademque littera habeat aliquam similitudinem duorum ff. paulatim ex errore Librariorum citari cœpit per duo ff. atque ita etiam apud Juristas consuetudine invaluit. Ita tradit Alciatus lib. 3. Dispunct. cap. 16. quamvis adhuc moderni Doctores non desint, qui primævum citandi morem retinent per litteram græcam π, vel latinam D.

8. Altera pars Corporis Juris Civilis est Codex, ita dictus per Antonomasiam; quia quis omnis liber vocari possit Codex, hie tamen dicitur Codex sine addito propter dignitatem, utpote continens constitutiones, & rescripta Imperatorum. Constat autem 12. libris, quorum primi novem positi sunt in proprio volume, reliqui vero registrantur post volumen Authenticorum. Citatur autem per litteram majorem C.

9. Alia pars est Volumen Authenticorum divisum in 9. Collationes, ita dictas, quia in illis sunt simul collectæ Constitutiones Justiniani: dicunturque etiam Novellæ, quia à Justiniano factæ fuerunt post Codicis compilationem. Ex hoc Volumine Authenticorum translatæ postea fuerunt in Codicem, & congruis titulis appositæ quedam particulæ ab Yrnerio quin-

gen-



gentis annis post Codicis compilationem , ut
notat Cæsar Costa l. i. variar. ambiguit. Juris c. 34.
quæ leges ita translatæ vocantur ab Authoribus
Authenticæ , cùm cæteroquin lex ut inclusa in
Volumine Authenticorum dicatur *Authenti-*
cum. Post *Authentica* reperiuntur in Corpore
Juris duo libri constitutionum , seu consuetu-
dinum feudalium , ac deinde nonnulla alia O-
puscula continentia quasdam Constitutiones
Friderici , & Henrici Imperatorum.

10. Demum in fine ponuntur Institutiones
Justiniani , quæ sunt quoddam legum com-
pendium , ac prima scientiæ legalis Elementa ,
ad eandem facilius addiscendam apta methodo
concinnata, ac dividuntur in 4.libros. Quod àu-
tem in Institutionibus fiat non nunquā mentio
Codicis jam ante composti, ut in §. Sed nec hu-
jusmodi. *Instit. de Legatis* ; & vicissim in Codice
fiat mentio Institutionum jam ante composite-
rum ut in l. *Meminimus* 15. *C. de Legitimis heret-
ib. repugnantiam non habet.* Notandum e-
nī est , ante compositionem Institutionum ,
imo & ante Digestum , authoritate Justiniani
fuisse compilatum Codicem quendam qui Ju-
stinianeus appellatus fuit , abrogatis aliis tribus
Codicibus , qui tunc temporis exstabant , nem-
pe Gregoriano , Hermogeniano , atque Theo-
dosiano de quibus sermo est in l. *unica C. de no-
vo Codice faciendo* . Postea jussu ejusdem Justi-

niani ille idem Codex Justinianeus emendatus fuit, & sic editus fuit alius Codex postquam editæ jam essent Institutiones, ut constat ex l. 14. nica C. de emendat. Cod. Justiniani. Hic ultimus emendatus Codex est quem nunc habemus, unde mirum non est fieri in eo mentionem Institutionum compositarum, Codex autem, cuius fit mentio in Institutionibus, est ille Codex Justinianeus antiquior, qui nunc non extat, ut patet ex eo quod leges nonnullæ, quæ ibi citantur ex Codice: non reperiantur in Codice, quem habemus.

§. III.

De Jure Canonico.

1. Ultima, & nobilissima species Juris humani positivi est Jus Canonicum, ita dictum à græca voce κανών significat idem quod latinè Regula ex c. Canon. 2. dist. 3. eoque nomine significantur Ecclesiasticæ leges ad Divinum cultum, & supernaturalem finem animalium ordinatæ, quæ per Antonomasiam sibi vindicant nomen regulæ, quia quamvis omnis lex generaliter, sive Canonica, sive Civilis, dici possit regula justi; Lex tamen Canonica est nobilior regula, utpote procedens à potestate nobiliori, qualis est potestas Ecclesiasti-

ca-



ca, & ad nobiliorem finem hominem dirigens. Vocari quoque saepe solet Jus Pontificium, denominatione sumpta à Summis Pontificibus ejus Authoribus, & à quibus habet authoritatem. Item vocatur nonnunquam lato modo Jus Divinum, ut in c. cum de diversis. 2. de Privileg. in 6. tum quia Canones dictati sunt instituti ac dono Spiritus sancti, ut dicitur in cap. Violatores. 5. 25. q. 1. tum quia processerunt ex authoritatibus novi, & veteris Testamenti, ex c. Qualiter 24. de Accusationibus, tum demum quia Summus Pontifex accepit potestatem condendi ipsas leges à Christo Domino, tanquam ipsius Vicarius, & Successor Petri.

2. Canon ita generice acceptus multipliciter dividi potest. Primo enim alias est universalis, seu communis; alias particularis. Universalis, seu communis dicitur qui fertur pro tota Ecclesia; particularis autem, qui fertur tantummodo pro certo particulari loco, extra quem Canon ille non obligat, cuius generis sunt leges illæ particulares, quæ statutæ sunt tantum pro hoc, vel illo particulari Episcopatu &c. Nomen tamen Canonis absolutè prolatum solet intelligi de lege Ecclesiastica universalی.

3. Secundo alias est Canon scriptus, alias non scriptus, quemadmodum etiam Jus Civile paulò ante dividebamus. Canon scriptus dicitur, quem fert Ecclesiasticus Legislator,

qui plerumque leges suas per scripturā promulgare solet. Canon non scriptus est Consuetudo longo usu firmata obligans per modum Legis.

4. Tertiò Canon scriptus genericè acceptus subdividitur in Canonem specificè sumptum, seu in significatione minus ampla, in Decretum, in Epistolam Decretalem, in Dogma, in Mandatum, in Interdictum, & Sanctionem, quæ divisio assertur à Glos. in decreto Grat. *diss. 3. v. omnes.* Nomine Canonis specificè sumpti, seu in significatione minus ampla intelligitur Constitutio, seu lex edita à Concilio generali. Decretum etiam specificè sumptum est Constitutio edita à Summo Pontifice, nulla præcedente alicujus consultatione. Epistola Decretalis dicitur Constitutio facta à Summo Pontifice ad consultationem alterius, scripto transmissa, & publicata. Dogma est Constitutio doctrinalis circa fidem. Mandatum, Constitutio circa mores. Interdictum, constitutio aliquid prohibens, nulla certa poena pro transgressoribus interposita. Sanctio demum, per quam ita aliquid prohibetur, ut simul adjiciatur certa poena transgressor. Sumuntur hæc ex *præcit. Glos.* Omnes tamen istæ Constitutionum species sæpe veniunt, & confunduntur sub uno eodemque nomine Canonis, seu legis Ecclesiasticæ.

5. Quarto demum Canon alias dicitur Extra-

travagans", alius inclusus in Corpore Juris. Canon inclusus in corpore Juris dicitur' omnis illa Constitutio , quæ reposita est in voluminibus componentibus corpus Juris Canonici, videlicet, vel in Decretalib. Gregorii, vel in Sexto , vel in Clementinis &c. Canon Extravagans vocatur ea Constitutio, quæ nondum posita est in prædictis voluminibus , sed quasi extra vagatur , quales sunt Constitutiones Summorum Pontificum editæ post compilationem totius corporis Juris Canonici : quod nomen adhuc retinetur etiam à quibusdam Constitutionibus , quæ componunt librum Extravagantium intra corpus Juris ; quia scilicet tale nomen habuerant antequam eidem corpori adnecterentur , unde factum est ut etiam postquam factæ sunt partes ejusdem corporis in ea quasi possessione ejusdem nominis perseveraverint.

6. Ad hujus rei intelligentiam sciendum est, à primis usque temporibus nascentis Ecclesiæ, totoque sequentium sæculorum cursu , plurimos Canones editos fuisse , vel ab ipsis Apostolis , vel à Conciliis , vel à Summis Pontificibus ad Ecclesiasticam disciplinam ordinatis, quorum ut facilior cognitio præ manibus haberetur , diversæ à diversis Autoribus compilationes factæ sunt. Ut antiquiores omittam, de quibus videri potest Giball. tom. 2. de scient. Canon. lib.

5. cap.

§. cap. 10. q. unica. Et Emanuel. Compl. tom. 1.
in Decretal. in apparatu de orig. Et progres. Ju-
ris Can. n. 46. & seqq. Canonum collectio usu
celebrior, & approbata ea est, quæ significatur
nomine corporis Juris Canonici , constatque
Decreto Gratiani , Decretalibus Gregorii , Sex-
to Decretalium,Clementinis , & volumine Ex-
travagantium.

7. Decretum Gratiani dicitur volumen à
Gratiano Monacho Ordinis S. Benedicti com-
pilatum, cui operi doctas Glossas nonnulli Do-
ctores addiderunt. Quia verò in hoc volumine,
præter decreta Summorum Pontificum , &
Conciliarum , quæ vim canonis procul dubio
habent, intermixta leguntur alia plurima , vel
ex sanctis Patribus , vel ex aliis Interpretum
fragmentis , vel etiam ex jure civili petita : con-
trovertitur inter Doctores utrum illa omnia ,
& singula quatenus translatæ sunt in hoc volu-
men censeri debeant canonizata , hoc est vim
Canonis acquisivisse ? In qua controver-
sia affirmativam sententiam tradiderunt aliqui
Canonistæ, quos refert , & sequi videtur Pet. in
cap. 2. de rescr. n. 45. In contrarium tamen est
plurium aliorum sententia, quos refert , & se-
quitur Sanch. de matrim. lib. 9. disp. 12. num. 5.
Smar. de leg. lib. 4. cap. 5. num. 6. aliquique plures,
quos etiam sequitur Rota apud Penam decis.
480. qui docent singula apud Gratianum re-
per-

perta referenda esse ad Authores suos ex quibus desumpta sunt, tantumque authoritatis habere quantum ipsi Authores merentur, nisi sint à Summo Pontifice canonizata, seu approbata in aliquo Canone, ut etiam tradit *Gloss. in cap. 1. de reb. Eccl. non alienan. in tractatus.* In foro tamen externo singula citari possunt, & solent ad causarum decisionem, & observari ac si essent Canones Ecclesiastici.

8. Decretum hoc Gratiani in tres præcipuas partes dividitur, quarum prima continet 101. distinctiones in plures Canones, seu capita subdivisas. Secunda pars continet 36. Causas subdivisas pariter in plures quæstiones, & Canones, seu Capita: excepta quæst. 3. cause 33. quæ continet tractatum de pœnit. in 7. distinctiones per Canones, seu capita divisum. Demum tercia pars Decreti continet quinque distinctiones divisas in Canones, vel Capita agentia de Consecratione.

9. Secunda pars corporis Juris Canonici est volumen Decretalium, quæ dicuntur Gregorii IX. quia illius jussu collectæ sunt ex variis rescriptis, & constitutionibus Summorum Pontificum, Conciliorumque decretis per sanctum Raymundum de Pennafort Ordinis S. Dominici Capellani, & Pænitentiarium ejusdem Pontificis, cuius voluminis Glossator est Bernardus Parmensis. Dividitur autem in quinque

que libros continent Titulos, & Capita, in quorum primo agitur de Ministris Ecclesiæ, eorumque electione, ordinatione, officiis usque ad titulum 34. ac deinde sub finem ejusdem libri subnectuntur principia judiciorum. In secundo libro agitur de Jure quod præcipue est circa Judicia. In tertio libro de clericis, nec non de quibusdam quæ sunt clericis laicisque communia. In quarto de sponsalibus, & matrimonio. In quinto de criminibus, & poenis. Quæ omnia breviter indicantur veteri illo versiculo quinque vocibus constant, quæ totidem libris Decretalium suo Ordine correspondent: *Judex. Judicium. Clerus. Sponsalia. Crimen.*

10. Tertia pars corporis Juris Canonici est sextus Decretalium, jussu Bonifacii VIII. compilatus Opera, & studio Guillelmi Archiepiscopi Ebredunensis, Berengarii Episcopi Biterrensis, & Richardi de Senis S. R. E. Vicecancelarii ex pluribus Pontificum rescriptis Conciliorumque Decretis, quæ emanaverant post editum volumen Decretalium antiquarum Gregorii IX. cuius Operis Glossator est Joannes Andreæ Bononiensis. Vocatur autem *Sextus*, quia additus fuit quinq; antiquioribus libris Decretalium Gregorii, quamvis etiam ipse dividatur in quinque libros continentis similiter titulos ex Decretalibus Gregorii desumptos, & capita.

11. Quarta pars corporis Juris canonici sunt Cle-



Clementinæ, & volumen Extravagantium. Prima sunt constitutiones Clementis V. editæ in Concilio Viennensi, quibus Glossas addidit prædictus Joannes Andreas, suntque similiter divisæ in quinque libros continentis titulos ex Decretalibus Gregorii desumptos, & capita.

12. Volumen Extravagantium subdividitur in duas partes, in quarum prima continentur Extravagantes Joannis XXII. quibus Glossas addidit Zenzelinus de Cassanis; in altera autem sunt Extravagantes diversorum Pontificum post Sextum emanatæ, quibus Glossas apposuerunt Joannes Monachus, Guillelmus de Monte Lauduno, & Joannes Franciscus de Pavinis. Ratio autem quare Extravagantes dicantur, paulò superius indicata est.

13. Istæ sunt partes ex autoritate Pontificia receptæ componentes corpus Juris. Aliæ Constitutiones Summorum Pontificum & Conciliorum post illarum omnium compilationem emanatæ vim etiam canonum habent, vocari que possunt Extravagantes, quia quodammodo vagantur extra idem corpus, utpote nondum in unum volumen sub congruis titulis ex cuthoritate Pontificis compilatæ, quamvis auctoritate privata Petrus Matthei Jurisconsultus Lugdunensis, earum plures compilaverit, & sub propriis titulis in quinque libros distribuerit, quos vocavit septimum Decretarium.

14. To-

14. Totum hoc Canonicum corpus componitur partim ex sacrarum Litterarum præceptis , partim ex Summorum Pontificum constitutionibus Conciliorumque Decretis, partim ex Sanctorum Patrum sententiis , partim demum ex aliquibus statutis legum civilium : cum eo tamen inter hæc omnia discrimine, quod præcepta sacrarum Litterarum , Summorum Pontificum constitutiones, Conciliorumque approbatorum decreta habeant per se vim legis Ecclesiasticæ ; at statuta legum civilium secundùm se , quamvis obligent , & observentur etiam in foro Ecclesiastico , supposito quod neque canonice decretis neque bonis moribus aduersentur , ex c. 1. de novi operis nunciatione , juncto c. 2. §. aliisque dist. 10. attamen vim non habent canonis Ecclesiastici , nisi quatenus in aliquam constitutionem canonicam translata sunt , & assumpta tamquam sua à Summo Pontifice , juxta illud Justiniani in l. i. C. de veteri Jure enucl. *Omnia nostra facimus quibus autoritatem nostram impartimur, cui etiam consonat c. si Apostolicæ 22. de præb. in 6.*

15. Idem proportionaliter dic de iis sanctorum Patrum sententiis , quæ translatæ sunt in volumina Decretalium & à Summo Pontifice approbatæ : sic enim cum aliis constitutionibus Pontificiis parem Juris autoritatem habent, quod illis non competeret , si mediante ea transf-



translatione , & approbatione Summus Pontifex illas non fecisset suas; quia tunc tantummodo post Summorum Pontificum Conciliorumque decreta secundum pro decidendis causis locum haberent, ut constat ex c. i. dist. 20. quia scilicet ad condendam legem non tam scientia quam jurisdictione necessaria est.

16. Quod autem attinet ad Conciliorum decreta , distinguendum est utrum sint decreta conciliorum universaliū , an conciliorum particularium. Decreta conciliorum universaliū à Summo Pontifice approbatorum habent per se vim canonis universalis , sive reperiantur inserta in corpore Juris canonici : sive non reperiantur ibidem inserta : at Decreta Conciliorum particularium secundūm se sunt canones particulares , eam tantum dicecesim , seu provinciam obligantes, pro qua particolare concilium congregatum fuit, nisi tamen assumpta sint à Summo Pontifice , & facta tamquam sua , quemadmodum sua fecit ea quæ reperiuntur inserta in libris Decretalium , juxta illud præcitatum : *omnia nostra facimus quibus auctoritatem nostram impartimur.* Ratio istorum est : quia vis & extensio legum dependet à vi & extensione jurisdictionis , siquidem extra territorium jus dicenti non paretur impune , ex cap. 2. de constit. in 6. Vis igitur canonis universalis procedere non potest nisi ab habente jurisdictione

ctionem universalem supra totam Ecclesiam ; atqui solus Summus Pontifex , & solum concilium generale à Summo Pontifice approbatum habet jurisdictionem universalem supra totam Ecclesiam ; Concilium autem particulare habet tantummodo jurisdictionem supra diœcesim , vel provinciam pro qua congregatum est : ergo solum ea quæ Summus Pontifex , & quæ concilium generale approbatum decrevit , aut quæ Summus Pontifex facit sua , vim habent canonis universalis.

§. IV.

De Conciliis.

1. Ad clariorem istorum intelligentiam , sciendum est nomine Concilii in Ecclesia nihil aliud intelligi , quam conventum Episcoporum , aut etiam aliorum , qui de jure , vel privilegio , vel consuetudine admitti debeant , legitimè congregatum , ad statuendum collatis sententiis super rebus emergentibus , quod verum , aut utile judicaverint . Rursus sciendum est , plures esse ejusmodi conciliorum , seu conventuum species in Ecclesia . Aliud enim est concilium particulare , quod subdividitur in Diœcesanum , Provinciale , & Nationale ; aliud concilium generale .

2. Concilium diœcesanum est quod in sua particulari diœcesi congregatur ab Episcopo ,
ex



ex Presbyteris sui Episcopatus, quibus ipse Episcopus praest.

3. Concilium Provinciale vocatur ad quod vocantur omnes Episcopi suffraganei unius Provinciæ, quibus praest Metropolitanus, seu Archiepiscopus, cuius generis plurima reperiuntur in voluminibus conciliorum.

4. Concilium Nationale est ad quod vocantur omnes Archiepiscopi, & Episcopi unius Regni, vel nationis, quibus praest Patriarcha, vel Primas ejusdem Nationis, qualia sunt multa concilia Romana, Toletana, & Africana, quæ nonnunquam vocantur etiam generalia, quia videlicet generalia sunt relate ad illud Regnum, seu nationem, quamvis absolute, & quoad totam Ecclesiam non sint universalia.

5. Demum concilium generale quod etiam appellatur OEcumenicum, hoc est totius orbis christiani, est, ad quod vocantur Episcopi totius Ecclesiæ. qui possunt, & debent eidem interesse nisi legitimè impedianter, & cui praesidet Summus Pontifex per se, vel per suos Legatos. Ejus convocatio spectat unice ad Summum Pontificem, ut constat ex tota dist. 17. apud Gratianum, quemadmodum, & unice ad Summum Pontificem spectat ejusdem confirmatio, fine qua ejusdem canones nullatenus Ecclesiam obligarent, quam confirmationem requiri etiam pro conciliis Provincialibus de-

ci-

cisum fuisse à sacra congregatione in Florent. & Januen. die 24. Julii 1573. refert eruditissimus D. Pignatell. Consult. Canon. tom. 4. Consult. 132 num. 13.

6. In hac confirmationis necessitate fundatur celebris illa generalium conciliorum in Ecclesia celebratorum divisio, quorum aliqua dicuntur simpliciter approbata; alia simpliciter reprobata; alia partim approbata, partim reprobata. Primi generis sunt, quæ simpliciter confirmata fuerunt auctoritate Summi Pontificis. Secundi generis, quæ ab eadem auctoritate penitus sunt rejecta. Tertiū demum generis, quæ partim confirmata sunt, videlicet quoad aliqua particularia, vel quoad aliquos canones; partim rejecta, sive quoad alia statuta aliosve canones non confirmata.

7. Concilia simpliciter approbata, & universaliter recepta in Ecclesia sunt 18. ut videri potest apud Bellar. lib. 1. Controv. de Concil. cap. 5. ex quo sequentem catalogum hic breviter atteximus, præscindendo ab iis, quæ celebrata sunt ab Apostolis, de quibus sermo est in libro Actuum Apostolorum.

8. Primum concilium est Nicenum, ita dictum quia celebratū fuit Niceæ in Bithinia. Incepit anno Domini 325. seu ut alii malunt anno 326. & duravit tribus annis. Convocatum fuit auctoritate S. Sylvesteri Summi Pontificis, qui

videm' præsedit per suos Legatos Osium Episcopum, Victorem, & Vincentium. Interfuerit anno 318. Episcopi, & ipse Imperator Constantinus Magnus non tamquam Judex, sed ut sua maiestate pacem conciliaret, & promoveret. Causa congregandi concilii duplex fuit. Prima ut damnaretur hæresis Arriana, quæ negabat divinitatem Verbi Divini. Secunda ut resolvetur vetus controversia de die, in quo ab Ecclesia celebrari Pascha deberet.

9. Secundum concilium est Constantinopolitanum primum celebratum 56. annis post Nicænum auctoritate S. Damasi Summi Pontificis, imperante Theodosio Magno Seniore. Quamvis autem eidem concilio nullus Episcopus interfuerit ex Provinciis Occidentalibus; adhuc tamen recipitur ab Ecclesia tamquam legitimum, & universale concilium, quia eodem tempore Summus Pontifex Romæ coegerat Synodum Occidentalium, conjunctisque animis atque sententiis, quamvis loco distantes, duæ illæ Synodi tanquam unica processerunt. In hoc concilio damnata fuit hæresis Macedonii, quæ Spiritus sancti Divinitatem negabat. Interfuerunt autem Episcopi ex diversis Provinciis 150.

10. Tertium concilium est Ephesinum celebratum anno Domini 434. vel ut alii malunt, anno 431. Cœlestino I. Summo Pontifice, &

B

Theo-

Theodosio juniore Imperatore, convenerunt
200. Episcopi, quibus præfuit Cyrilus Patri-
archa Alexandrinus, tamquam Pontificius Le-
gatus. causa congregandi hujus concilii fuit
hæresis Nestorii, quæ impiè negabat B. Virgi-
nem esse Dei Matrem, & in Christo Domino
ponebat duas Personas inter se distinctas, vide-
licet Personam Divinam, & personam humanā.

11. Quartum concilium est Calcedonense,
Leone I. summo Pontifice, & Marciario Impe-
ratore, anno 454. vel ut alii volunt anno 451.
Interfuerunt 630. Episcopi. Congregatum au-
tem fuit ad damnandam hæresim Eutichetis,
quæ unam tantum Naturam in Christo dari
asserebat.

12. Quintum concilium est Constantinopo-
litanum II. Vigilio summo Pontifice, & Justi-
niano seniore Imperatore, anno Domini 553.
Interfuerunt Episcopi 165. Causa ejus congre-
gandi fuit ad damnandas quasdam propositio-
nes Origenis, & tres libellos editos à Theodoro
Mopsuesteno, Theodoreto Cirensi, & Iba.

13. Sextum concilium est Constantinopolit-
anum III. inceptum ab Agathone summo Pon-
tifice, sed terminatum, & approbatum à Leo-
ne II. imperante Constantino IV. dicto Pogo-
nate, anno Domini 681. Interfuerunt 289. Epi-
scopi. In hoc concilio damnata fuit hæresis eo-
rum, qui unam tantum voluntatem in Christo
esse

esse dicebant, unde vocabantur Monothe-
litæ.

14. Septimum concilium est Nicænum II. celebratum anno Domini 781. vel ut aliis placet 787. Adriano I. Summo Pontifice, & Constantino Imperatore ac Irene ejus Matre. Interfierunt 350. Episcopi. Causa hujus concilii fuit, ut sustineretur cultus sacrarum imaginum, quia ab hereticis Iconoclastis impugnabatur.

15. Octavum concilium Constantinopolitanum IV. quod celebratum fuit Adriano II. Summo Pontifice, & Imperatore Basilio, anno Domini 870. circa numerum Episcoporum variant Authores. Eadem tamquam Pontificii Legati præsederunt Donatus, Stephanus Episcopi, & Martinus Romanæ Ecclesiæ Diaconus. Congregatum autem fuit pro depositione Photii injustè intrusi in sedem Constantinopolitanam, & pro constitutione Ignatii legitimi Episcopi.

16. Nonum est concilium Lateranense I. habitum anno 1123. Calisto II. Summo Pontifice, & Henrico V. Imperatore. De numero Episcoporum non constat inter Authores. Coactum autem fuit pro recuperanda Terra sancta contra infideles, & pro componenda concordia inter Summum Pontificem & Imperatorem.

17. Decimum est Lateranense II. celebra-
B 2 tum

Titulus Proæmialis

28

tum anno 1139. Innocentio II. Summo Pontifice, & Conrado III. Imperatore. Interfuerunt 1000. Episcopi. Causa ejus congregandi fuit ut rescinderentur acta cujusdam Anacleti Antipæ, & ut sustineretur Baptisma collatum Infantibus ante usum rationis, cuius valor ab aliis quibus hæreticis impugnabatur.

18. Undecimum est Lateranense III. celebratum anno Domini 1179. Alexandro III. Summo Pontifice, & Friderico I. Imperatore. Interfuerunt 300. Episcopi. Coactum autem fuit pro destruenda hæresi Albigensium, ac Valdensium, & pro destruendis Schismaticis Ordinatis per intrusos Pontifices.

19. Duodecimum est Lateranense IV. Innocentio III. Summo Pontifice, & Friderico II. Imperatore, anno 1215. Interfuerunt Episcopi 412. causa ejus fuit ad damnandum hæreticalem errorem Albigensis Joachim, circa Mysterium Summæ Trinitatis, qui tamen non fuit formaliter hæreticus, eo quod omnia sua scripta subjecerit judicio Sedis Apostolicæ approbanda, vel corrigenda; & ad damnandum perverissimum dogma impii Almarici, ut videri potest in cap. *Damnamus 2. de Summa Trinitate, & de Catholica*, quod est desumptum ex eodem concilio. Alia etiam causa fuit pro moribus reformatis, & pro bello ineundo contra Saracenos, qui terram sanctam invaserant.

20. De-



20. Decimum tertium est Lugdunense I. celebratum anno 1245. Innocentio IV. Summo Pontifice, & Balduino II. Imperatore Constantinopolitano. Convocatum fuit pro excommunicando Imperatore Friderico II. & pro suscipienda bellica expeditione ad terram sanctam. Interfuerunt 140. Episcopi.

21. Decimum quartum est Lugdunense II. celebratum anno 1274. Gregorio X. Summo Pontifice, & Rodulpho Imperatore. In hoc concilio fuit expressè definitum, seu declaratum id quod semper catholica Ecclesia professa fuerat circa Processionem Spiritus Sancti, videlicet Spiritum Sanctum aeternaliter procedere ex Patre, & Filio, non tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ex uno principio; non duabus spirationibus, sed unica spiratione, ut videri potest in cap. unico de Sum. Trin. & fide Cath. in 6. quod ex hoc concilio desumptum est. Interfuerunt autem ex diversis christiani orbis partibus Episcopi circiter 500,

22. Decimumquintum est Viennense in Gallia celebratum anno 1311. Clemente V: Summo Pontifice, & Henrico VII. Imperatore. Coactum fuit ad examinandam causam militum Templariorum, qui de pluribus criminibus accusabantur; & ad extirpandas haereses Beguardorum, & Beguinorum, &c. Ex hoc concilio extant Decreta in corpore Juris, quæ di-

cuntur Clementinæ. Adfuerunt Episcopi 300.

23. Attento ordine temporis, numerandum hic esset concilium Constantiense, & concilium Basileense; sed quia neutrum est simpliciter, & adæquatè approbatum, ideo de utroque sermo erit postea, quando omnia generalia concilia adæquatè approbata numeraverimus.

24. Decimumsextum concilium est Florentinum, anno 1438. Eugenio IV. Summo Pontifice, & Imperatore Constantinopolitano Joanne Paleologo, qui eidem concilio interfuit. Episcopi fuerunt 141. coactum fuit pro componenda unione inter Ecclesiam Latinam, & Græcam.

25. Decimumseptimum est Lateranense V. celebratum anno 1512. quod inceptum fuit à Julio II. Summo Pontifice, & terminatum à Leone X. Maximiliano Imperatore. Numerus Patrum, qui huic concilio interfuerunt, fuit minor quam fuerit in ullo alio concilio generali; numquam enim ad 120. pervenit. Congregatum fuit pro destruendo conciliabulo Pisano, quod absque authoritate legitima coactum fuerat, & in schismatica acta procedebat. Definita seu explicata fuit in eodem concilio catholica veritas, qua docemur animam rationalem esse immortalem, nec unam esse in pluribus hominibus, sed totidem numero quot sunt homines. In eodem concilio statuta sunt con-

concordata inter Rom. Pontificem , & Galliæ Regem, spectantia præsertim ad præsentationem, & collationem Beneficiorum.

26. Decimum octavum, & ultimum generale concilium est Tridentinum inchoatum anno 1545. & terminatum anno 1563. tempore summorum Pontificum Pauli III. Julii II. PII V. & Imperatorum Caroli V. ac Ferdinandi I. ad destruendos Lutheri , aliorumque ejus temporis hæreticorum errores , necnon pro morum reformatione.

27. Ita sunt OEcumenica , seu generalia concilia authoritate Sedis Apostolicæ simpliciter approbata atque communiter recepta. Inter concilia vero , quæ dicuntur partim approbata, & partim non approbata, numerantur potissimum ista tria , videlicet Francofordiense , Constantiense , & Basileense.

28. Francofordiense coactum fuit anno 794. Adriano I. Summo Pontifice , in civitate Francofurti ad Mænum. Hoc concilium confirmatum fuit ab Adriano quantum ad eam partem , in qua definiverat Christum non esse Filium Dei adoptivum ; sed reprobatum fuit quantum ad alteram partem , in qua ex errore damnaverat Septimam Synodum.

29. Constantiense congregatum fuit anno 1414. tempore Schismatis , quo tres se gerebant tamquam Pontifices in Ecclesia. Imperatore Sigis-

32 Titulus Proæmialis de Jure Can. in gen.
mundo. Causa ejus celebrandi fuit ad extin-
guendum idem Schisma , & damnationem
Wicleffi, Joannis Hui , ac Hieronymi de Pra-
ga. Fuit autem approbatum à Martino V. so-
lum quoad ultimas Sessiones, & Decreta in ma-
teria fidei conciliariter statuta , secundum quæ
recipitur ab omnibus catholicis.

30. Basileense fuit inchoatum anno 1431. &
per 18. ferè annos continuatum. Hoc conci-
lium utcumque in prima sui convocatione legi-
timum fuerit , statim tamen ac indebitam au-
thoritatem sibi arrogavit supra Rom. Ponti-
ficem , desiit esse legitimum , & habitum fuit
tamquam Schismaticum conciliabulum, unde
omnia ejus decreta rescissa sunt , exceptis tan-
tummodo quibusdam dispositionibus circa
Beneficia Ecclesiastica , quæ dispositiones
approbaræ fuerunt à Nicolao V.

Summo Pontifice.



IN-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN